DIASCEPSIS THEO-
LOGICA,

De

RESIPISCENTIA:

Quam,

DEO BENIGNE FAVENTE,

Publicæ placidæqúe συζητήσει
ſubjicit

JOH. RODOLPHUS STUCKIUS,
S.Theologiæ Prof.

Interrogantibus reſpondebit

JOHANNES LAVATERUS,
V. D. M.

Aſſumente

VALENTINO TESTERO, RHOETO-
SAVIENSI, S.Theol. ſtud.

Poſtridie Synodi Autumnalis,

ANNO
M DC XL IX.

TIGURI,
Typis JOH. JACOBI BODMERI.

Digitized by Google

AUXILIUM NOSTRUM IN NOMINE DOMINI, QUI FECIT coelum & terram.

T*riſte D. N. Jeſu Chriſti vaticinium extat Matth. XXIV. 12.* Quoniam multiplicata erit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. *Eventum vaticinii triſtiſſimum nos hodie, in quos fines ſeculorum occurrerunt, plus ſatis experimur. Nam quocunq; oculos noſtros convertamus, videmus τὴν ἀνομίαν, iniquitatem, quam ibi Dominus vocat, ſinceræ dilectionis, id eſt, pœnitentiæ & regenerationis exercitiis bellum indixiſſe internecinum. Hiſtrioniam qui agant, magno numero reperias, qui pœnitentiam, oppidò paucos. Sunt enim, qui pœnitentiam in larvam quandam actionum & ſatisfactionum externarum demutent. Sunt, qui, phreneticâ quadam intemperie, regenerationem cum enthuſiaſmis ſuis confundant. Sunt, qui, profaniſſima & impiiſſima Epicureiſmi & Atheiſmi caſtra ſectantes, omnes pietatis nervos elidant. Viſum ergo eſt doctrinam de Reſipiſcentia repetere, pio cum voto, ut non ſcientia tantùm, ſed & praxis illius, per Eccleſias noſtras, majora indies capiat incrementa.*

DIA-

Digitized by Google

DIASCEPSIS THEO-
LOGICA,
De
RESIPISCENTIA.

I.

Actio illa divina, quam in Electis operatur Spiritus Sanctus, πολυώνυμος cùm ſit, ex diſtinctione & explicatione nominis potiùs, quàm ex diviſione rei percipi poteſt.

[b] *In Scripturis, Scriptiſque Theologorum appellatur promiſcuè Reſipiſcentia, Pœnitentia, Converſio, Regeneratio, Vocatio, Sanctificatio.*

[c] *Vox Reſipiſcentiæ, ex indole Latinitatis, reſpectum habet ad actum geminum: quorum prior agnitionem commiſſi erroris, poſterior correctionis propoſitū innuit.*

Sic enim Lactantius, author cumprimis Latinus, libr. VI. div. Inſt. cap. 24. *Is, quem facti ſui pœnitet, errorem ſuum priſtinum intelligit; ideóq; Græci meliùs & ſignificantiùs μετάνοιαν dicunt, quam nos Latinè poſſumus Reſipiſcentiam dicere. Reſipiſcit enim ac mentem ſuam quaſi ab inſania recipit, quem errati piget, caſtigátque ſeipſum dementiæ, & confirmat animum ſuum ad rectiùs vivendum: tum illud ipſum maximè cavet, ne rurſus in eoſdem laqueos inducatur.* Hactenus Lactantius.

Reſipiſcere igitur eſt iterum ſapere, ad ſanam redire mentem, cui verbo apud Græcos reſpondet μετανοεῖν, pòſt intelligere, id eſt, poſt factum ſapere, mentem & conſilium in melius mutare. Tertullianus *μετάνοιαν animi demutationem* interpretatur, lib. 2. adv. Marcion.

Si-

Simile verbum eſt ἀνανήφειν, iterum ſobrium fieri, ab ebrietate ad priſtinum mentis ſtatum redire, quo verbo Apoſtolus utitur 2.Tim.II.26. καὶ ἀνανήψωσιν ἐκ τῆς τοῦ Διαβόλου παγίδος, *& reſipiſcant à Diaboli laqueo.*

Obſervatione non indignum eſt, μετάνοιαν in Sacris Literis pœnitentiam ferè notare ſalutarem, quam Lactantius & Beza interpretantur Reſipiſcentiam.

Nam qui ſecundùm Deum eſt dolor, is reſipiſcentiam efficit ad ſalutem, cujus nunquam pœniteat, 2.Cor.VII.10.

Ea geminos reſpicit actus, agnitionem commiſſi erroris, & vitæ corrigendæ propoſitum.

[d] *Pœnitentia itidem duobus conſtat actibus: quorum prior quidem ita agnoſcit commiſſum errorem, ut ſimul ſentiat & pertimeſcat promeritam pœnam: alter verò, electorum reſpectu, concipit propoſitum à peccato deinceps cavendi.*

Pœnitentia vocabulum medium eſt. Judæ namque pœnitentia tribuitur, Matth.XXVII.3. in priori videlicet ſubſiſtens actu. Judæ quidem ita peccatum diſplicuit commiſſum, ut præ dolore in deſperationem inciderit: ad alterum verò actum, vitæ videlicet in melius mutandæ ſtudium, non aſpiravit. Græcus contextus habet μεταμεληθείς. Μεταμέλεσθαι eſt pòſt curare, poſt factum aliquod ſolicitum & anxium eſſe, ita ut in animo oriatur & diſplicentia, quâ quis rem factam optat infectam, & promeritæ pœnæ ſenſus ac metus.

Voces ergò pœnitentia & μεταμέλεια non ſemper reſipiſcentiam, id eſt, ſalutarem mentis demutationem, utroq; conſtantem actu, denotant.

Pontificii tres pœnitentiæ conſtituunt partes, contritionem cordis, confeſſionem oris, & ſatisfactionem operis. Sed has partes in pœnitentia Judæ reperias omnes. Videns enim Chriſtum eſſe damnatum, μεταμεληθείς, pœnitens retulit xxx, argenteos ad Principes Sacerdotum, & Seniores, dicens:

Pec-

Digitized by Google

Peccavi, tradens ſanguinem innoxium. Ecce contritionem cordis,& confeſſionem oris! Præterea abjectis illis argenteis in templum, receſſit. Ecce ſatisfactionem operis!

Quicquid enim Pontificii regerant,negare non poſſunt, reprobos quoque de admiſſis peccatis dolere,& in aures Sacrificuli ea deponere, opera item ſatisfactoria ſive ſponte ſuſcepta,ſive ab aliis impoſita,præſtare poſſe.

Adde,quòd & contritio illorum Legalis eſt,non Evangelica, vera fide,id eſt,fiducia filiali,quam ignorant,deſtituta,& confeſſio auricularis in Sacris Literis præcepta non eſt, & opera ſatisfactoria in mortis & meriti Chriſti contumeliam cedunt. *Non enim redempti ſumus caducis rebus,argento, vel auro*,vel ullo opere humano,*ſed precioſo ſanguine Agni illius immaculati, & incontaminati, nempe Chriſti*: 1.Pet.I.18,19.

Pœnitentia igitur Pontificia Sacramenti nomen haudquaquam meretur. Sed nec vera pœnitentia,utroq; conſtans actu, qualis Petri fuit, Sacramentum propriè dictum eſt: quia ſigno viſibili caret: quia res ſignata eſt Baptiſmi, unde Baptiſmus reſipiſcentiæ dicitur, Marci I.4.& lavacrum regenerationis,Tit.III.5: quia in Veteri quoque fuit Teſtamento. Novi ergo Teſtamenti Sacramentum propriè dictum eſſe nequit.

Obſervandum quoque,licèt pœnitentia à pœna vel pœnitet dicatur,nunquam tamen apud bonos authores ſumi pro pœna aliqua conſequente,ſeu mulcta, reſipiſcenti impoſita, ſed pro ipſa animi diſplicentia,ſeu dolore pœnali,ex commiſſi erroris vel peccati conſcientia,apud Ciceronem & alios.

[c] ***Converſio in ſe idem eſt,quod Reſipiſcentia & Pœnitentia, niſi quòd metaphoricè innuit duos terminos, alterum à quo,alterum ad quem.***

Terminus à quo eſt peccatum, ſeu averſatio & deteſtatio peccati: terminus ad quem eſt Deus,vel obſervatio mandatorum ejus. Terminum à quo habes 1.Reg.VIII.35. *A peccato*

 ſuo

ſuo ישובון *convertentur.* Terminum ad quem Deut.XXX. 2. וְשַׁבְתָּ *quando converſus fueris ad Dominum.*

Verbo igitur convertendi reſpondet Hebr. שוב, Græcum ἐπιστρέψαι. Utrumque terminum exprimit Apoſtolus Actor. XXVI.18.ubi officii ſui eſſe dicit ἀνοῖξαι ὀφθαλμοὺς τῶν ἐθνῶν τοῦ ἐπιστρέψαι ἀπὸ σκότους εἰς φῶς, καὶ τῆς ἐξουσίας τοῦ σατανᾶ ἐπὶ τὸν Θεόν, *aperire oculos gentium, ut convertantur à tenebris ad lucem, & á poteſtate Satanæ ad Deum.*

LXX. Interpretes נִחַם reddiderunt interdum μετανοεῖν, interdum μεταμελεῖν, ſed שוב ſemper ἐπιστρέψαι.

Terminus ille à quo conjunctum habet dolorem de peccato, qui vel *mundi eſt, mortem adoperans*, vel *ſecundùm Deum, ſalutem afferens*, 2.Cor.VII.10.

[f] *Vox Regenerationis antecedentia iſta continet omnia, ita tamen ut magis referatur ad redintegrationem divinæ imaginis, ſecundùm quam homo ab initio conditus, ſed quâ per lapſum primorum parentum orbatus eſt.*

Hoc igitur vocabulum innuit ipſam converſionis noſtræ formam, quæ eſt redintegratio imaginis divinæ, quam homo per lapſum primorum parentum amiſit. S. Apoſtolus *renovationem divinæ imaginis* vocat, Eph.IV.23.Col.III.10. Et *novam creationem*, Galat.VI.v.15. *Datio novi cordis* vocatur Ezech. XXXVI.26, *Reſpectu intellectus, illuminatio* dicitur, 2.Cor.IV.6. Eph.I.18.

[g] *Regeneratio itidem conjungit actus indivulſos duos; nempe remotionem mali, & ſubſtitutionem boni.*

[h] *Remotio mali eſt abolitio vitioſarum qualitatum, ſeu hæreditariæ illius labis & luis, quæ à parentibus derivatur in ſobolem.*

Vitioſæ illæ qualitates ſunt tenebræ ac cæcitas mentis, & pravitas voluntatis, & intemperies affectuum, quæ à parenti-

bus

Digitized by Google

bus in ſobolem derivantur. Quæ quidem vitia in regeneratione abolentur, ut imago Dei veluti poſtliminiò reduci poſſit.

[i] *Subſtitutio boni eſt illorum donorum, quibus hominis intellectus, voluntas & appetitus, ſtante divina imagine, ornatus fuit, reductio.*

Cæcitati igitur mentis ſuccedit agnitio Dei ſalutaris, id eſt, vera fides, cum omni ſapientia & intelligentia ſpirituali. Eph. I. 8. Col. I. 9.

Pravitatem voluntatis, & affectuum ἀταξίαν juſtitia & vera ſanctimonia corrigit. His enim donis, ſapientiâ videlicet, juſtitiâ, & ſanctimoniâ, homo ab initio conditus, imaginem Creatoris ſui maximè referebat.

Geminum illum Regenerationis actum Paulus quoq; exprimit, & diſtinguit Rom. VI. 3. & ſeq. ubi unum actum vocat mortem, crucifixionem & ſepulturam veteris, alterum reſurrectionem & vitam novi hominis: ita ut uterq; ille actus, tum ex Chriſti morte & ſepultura, tum ex reſurrectione & vita illius in nos derivetur, & Baptiſmo obſignetur. *Baptiſmus* enim *lavacrum eſt regenerationis, & renovationis Spiritus S.* Tit. III. 5.

Ex actibus illis alter quoque *mortificatio* dicitur Col. III. 5. alter *vivificatio* Eph. II. 5.

[k] *Præterea regeneratio gradibus certis diſtinguitur, vocatione nimirum, & ſanctificatione.*

[l] *Vocatio primum regenerationis gradum, id eſt dationem fidei, per charitatem efficacis, & primam fidelium aggregationem ad communionem Chriſti notat.*

Rom. VIII. 30. *Quos prædeſtinavit, eos etiam vocavit, & quos vocavit, eos etiam juſtificavit, &c.* 1. Cor. I. 9. *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis, in communionem filii ipſius Jeſu Chriſti, Domini noſtri.*

Vocatio à Prædeſtinatione immediatè dependet, gemino

ſimi-

ſimiliter conſtans termino. *Deus enim è tenebris ſuos vocat in admirabilem ſuam lucem,* 1.Petr.II.9.

Hinc *vocatio ſecundùm propoſitum* vocatur, Rom.VIII.28. *Vocatio* item *ſancta*, non ex operibus noſtris, ſed ex propoſito & gratia Dei dependens, 2.Tim.I.9. Quoſcunque enim prædeſtinavit, eos non tantùm externè vocat per verbum, ſed etiam intus per Spiritum S. ad ſe trahit, & fide donat, Joh.VI.44,45. Eph.II.8.

Regeneratio igitur, vocationis reſpectu, per quam fides donatur, juſtificationem antecedit, ſanctificationis verò reſpectu, per quam fides conſervatur, eandem ſubſequitur.

[m] *Sanctificatio id ipſum eſt, quod reſipiſcentia, quod pœnitentia, quod converſio, quod regeneratio, niſi quòd ſpecialiùs innuitur continuatio regenerationis & bonorum operum ſtudium, lætitia item & dulcedo illa, quæ ex ſpe veniæ & ſenſu reconciliationis orta, dolori atque terrori ſuccedit, & homo jam Deo conjunctus, dicatus conſecratúſque percipit regenerationis fructum.*

Sanctificationis ergo objectum ſunt juſtificati, *pro quibus* videlicet *Chriſtus ſemetipſum dedit, ut redimeret eos ab omni iniquitate, & purificaret ſibi ipſi populum peculiarem, ſtudioſum bonorum operum,* Tit.II.14.

Effecta ſunt 1. profectus illorum in fide & charitate. Nam *quos Deus, omnis gratiæ author, ad æternam ſuam gloriam in Chriſto Jeſu vocavit, eos, pauliſper licèt afflictos, abſolutos reddit, ſtabilit, roborat, fundat,* 1.Pet.V.10: *pro divite ſua gloria, fortiter illos corroborans per Spiritum ſuum in interiore homine, ut inhabitet Chriſtus per fidem in cordibus illorum: ut in charitate radicati & fundati aſſequi valeant cum omnibus ſanctis, quæ ſit illa latitudo & longitudo, & profunditas, & ſublimitas, & cognoſcere charitatem illam Chriſti omni cognitione ſuperiorem, ut impleantur ad omnem uſque plenitudinem illam Dei,* Eph.III.16,17,18,19. *Hoſtiam er-*

go

Digitized by Google

go ſe ſiſtunt vivam, ſanctam, beneplacentem Deo: Rom. XII. 1. idque unicè dant operam, ut *ſancti* cùm ſint, *ſanctificentur adhuc*: Apoc. XXII. 11: ut *incedant ſicut Domino dignum eſt, ut per omnia placeant, omni opere bono fructum proferentes, & creſcentes in agnitionem Dei*, Col. I. 10.

2. Lætitia & dulcedo illa, quæ tum ex ſpe veniæ, & ſenſu reconciliationis, tum ex profectu ſanctitatis, & conjunctionis cum Deo exiſtit. *Charitas* enim *foras ejicit metum*, 1. Joh. IV. 18. conjunctam habens & *pacem, omnem quæ ſuperat intellectum*, Phil. IV. 7. & *gloriationem ſub ſpe gloriæ Dei*, Rom. V. 2. *Retectâ enim facie gloriam Dei, ut in ſpeculo, intuentes, in eandem imaginem transformamur, ex gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu*, 2. Cor. III. 18.

Non mirum igitur, ſanctificationem ſub glorificatione comprehendi, Rom. VIII. 30. *Quos autem juſtificavit, eos etiam glorificavit.* Glorificatio enim inchoata fidelibus contingit, ut hoc futuræ felicitatis prægustamento ad omnes hujus vitæ moleſtias fortiter ſuſtinendas animentur. *In ſpem igitur vivam regeniti, per reſurrectionem Jeſu Chriſti ex mortuis*, 1. Pet. I. 3. *déque morte in vitam traducti*, 1. Joh. III. 14. *& collocati in cælis, in Chriſto Jeſu*, Eph. II. 6. *gaudium apud ſe plenum habent per Spiritum Sanctum*, Joh. XVII. 13. Rom. XIV. 17. 1. Joh. I. 4.

Atque hæc eſt *ſors Sanctorum in luce*, Col. I. 12. hic ſanctificationis eſt fructus, cujus ſenſum reſtitui ſibi petit Regius Pſaltes Pſal. LI. 14: *Redde mihi gaudium ſalutis tuæ, & ſpiritus voluntarius confirmet me.*

Profectum & *gaudium fidei* conjungit Apoſtolus Phil. I. 25.

II.

Circa reſipiſcentiam & regenerationem tenenda ſunt ſequentia Theoremata.

1. Regeneratio ſive ſanctificatio præter electos contingit mortalium nemini.

Juxta indiſſolubilem illam ſalutis noſtræ catenam, Rom.

VIII.29,30. Nam quicunque glorificantur, vel ſanctificantur, eos præſcitos & prædeſtinatos eſſe oportet, ut in ſanctitate & gloriâ imagini filii Dei conformes fiant.

Attingit autem ſanctificatio diſtinctè hominis electi intellectum, voluntatem, & affectus, ut ſuprà vidimus.

Annon verò illuminatio in reprobis quoque locum habet, juxta Apoſtolum ad Hebr. VI.4?

Reſp. Illuminationem, quæ in reprobos cadit, directione charitatis deſtitui, ut finem uſúmque ſalutarem, illorum reſpectu, aſſequi non valeat.

Ex reprobis enim alii, quicquid ſciunt, ad vanam oſtentationem & lucrum referunt, alii, de quorum prolapſione heic propriè ſermo eſt, nullum ſcopum propoſitum habent alium, quàm ut veritatem agnitam contumeliis vexent. Illuminatio ergo ſalutaris, ſeu renovatio agnitione conſtans, & imagini Dei congruente, & gloriam illius unicè ſpectante, electorum propria eſt, cum cæteri donis, quæ Apoſtolus illic recenſet, perditiſſimè abutantur.

Scientia inflante multi quidem præditi ſunt, charitate verò ædificante pauci, 1. Cor. VIII.1.

2. Regeneratio, quam præ ſe ferunt homines rejectanei, hypocriſis eſt, & ſanctificationis ſimulachrum, cujus finis eſt confuſio.

Deo quidem illi *ore ſuo appropinquant, & labiis eum honorant: corde autem ſuo procul ab eo abſunt*, Matth. XV.8. Externam illi quidem in ceremoniis reſipiſcentiam ſtrenuè moliuntur: at interim *faſciculos iniquitatis, quibus colligatos tenent pauperes, diſſolvere non curant.* Jeſ. LVIII 5,6,7. Cor nimirum & Deo & proximo clauſum gerunt: nec ſuperna, ſed terrena tantùm curant: quorum Deus eſt venter: quorum finis eſt exitium: quorum gloria, quam videlicet ab hominibus captant, ad confuſionem ipſorum recidit, Phil. III.19.

At pœnitentiam Achabi placuiſſe Deo S. Literæ referunt.

Nam

Digitized by Google

Nam 1.Reg.XXI.29. dicit Dominus ad Eliam: *Vidésne Achabum ſe abjeciſſe ante faciem meam? Eò quòd abjecit ſe ante faciem meam, non inducam malum illud diebus ejus.*

Reſp. Deum aliquando externam pœnitentiam, qualis Achabi fuit, & ſimiles reproborum honeſtatis actus externos beneficiis compenſare externis. Ita lacrumis quoque Eſavi benedictionem conceſſit temporalem.

Idem tamen ſeveriùs interdum contra hypocritas inſurgit, & pœnas duplicat, ut inde appareat, quantopere ei diſpliceat hypocriſis. Sed quædam exempla extare voluit ſuæ ad dandam veniam propenſionis, ex quibus pii animentur ad vitæ correctionem, & graviùs damnetur eorum ſuperbia, qui protervè adverſus ſtimulum calcitrant.

At de peccato commiſſo Achabus doluit.

Reſp. Hunc *mundi* fuiſſe *dolorem*, quem Apoſtolus vocat 2. Cor. VII. 10 Nam & mundani homines ob ignominiæ, & pœnarum metum de peccatis dolent. Unde vel ad ingenium redeunt, ut Achabus, vel in deſperationem incidunt, ut Iudas; prout illi vel dolorem iſtum excutiunt, vel ab eo vincuntur: nullo autem vitæ in melius mutandæ deſiderio, nullo Dei offenſi pudore ducuntur. Ab inſigni enim illo ſtudio, imò timore, imò vehementi deſiderio, imò zelo, imò vindicatione, quæ triſtitiam ſecundum Deum commendant & comitantur, alieniſſimi ſunt: cap. alleg. v. 11.

3. Regeneratio in hac vita inchoatur citiùs, ſeriùs: in vita futura demum perficietur.

Regeneratio hoc loco reſpectu & initii & finis conſideratur. Initium ſi ſpectes, alii circa diluculum, alii horâ tertiâ, alii undecimâ, in vineam Domini vocantur. Matth. XX. 1. & ſeq.

Finem verò & perfectionem vocatio iſta non in vinea, in qua laborandum, ſed in patria, in qua requieſcendum à labore, ſortitur. Hac in vita tantus eſt regenerationis noſtræ profectus, quanta Spiritus S. dona accipimus. Quis verò niſi

Digitized by Google

primitias Spiritus accipit? Rom.VIII.28. Non ergo uno momento, vel die, vel anno, inſtauratio noſtri abſolvitur, ſed labores continuos militia hęc ſacra requirit, donec, conſummato noſtro curſu, *ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος, καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν κύριον, migrare è corpore, & ad Dominum ire habitatum* nobis detur 2.Cor.V.8: ubi demum *τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως, palmam ſupernæ vocationis* conſequemur. Phil.III.14.

Calvinus Inſtit.lib.III.c.3.ſ.14. Anabaptiſtas quosdam taxat, phreneticam neſcio quam intemperiem pro ſpirituali regeneratione comminiſcentes: *nempe in ſtatum innocentiæ reſtitutos Dei filios jam non oportere ſolicitos eſſe de libidine carnis refrænanda: ſpiritum ducem ſequendum eſſe, ſub cujus actione nunquam aberratur.*

Utinam verò hos furores temporum noſtrorum ſectarii ab orco non revocarent! Spiritum ducem omnino ſequendum eſſe ſtatuimus, non verò impurum illum, qui, extra Scripturas, neſcio quem innocentiæ ſtatum ante tempus venditans, feneſtram licentiæ aperit: ſed Sanctum, qui per Scripturas nobiſcum agens, ſtatum innocentiæ & perfectionis non *in via*, ſed *in patria* nobis oſtendit, 1.Cor.XIII.10: 2.Cor.V.10. Phil.III.20. Hebr.XI.13,14,15,16. *In præſenti verò ſeculo, tanquam advenas & peregrinos, abſtinere* jubet *à carnis cupiditatibus, adverſus animam militantibus*, 1.Pet.II.11. *& temperanter, juſtè ac piè vivere* docet, Tit.II.12. *abundare item fructibus juſtitiæ, ad gloriam & laudem Dei*, Phil.I.11.

Idem ad libertatem ita nos vocat, ut & carni occaſio peccandi præcidatur, & lex nobis, tanquam certiſſima vivendi regula, commendetur, Gal.V.13,14,16.

Illéne qui dicit: *Spiritu incedite, & quod concupiſcit caro ne perficite*, de refrænanda carnis libidine non vult eſſe ſolicitos?

Non ergo aberrabimus, ſi Spiritus S. ductum, in Scriptura nobiſcum loquentis, ſequamur: ſi perfectionem noſtram non in commentitia quadam immunitate, ſed in reſipiſcentia à peccato, & in continuo bonorum operum ſtudio conſtituamus;

Digitized by Google

mus: perſuaſum habentes hoc ipſum, fore, ut qui cœpit in nobis opus bonum, perficiat uſque ad diem Jeſu Chriſti, Philip.I.6.

4. *In homine regenerato ſemper manent duo oppoſita, inclinatio nempe ad malum, & inclinatio ad bonum. Hinc in electis perpetua lucta.*

[a] *Inclinatio ad malum, id eſt, corruptionis naturæ reliquiæ, in Scripturis dici ſolent vetus homo, homo externus, animalis item & carnalis, & caro.*

[b] *Inclinatio ad bonum vocatur homo novus, homo internus, nova creatura, homo ſpiritualis, denique Spiritus, quia bona illa inclinatio à Spiritu S. proficiſcitur.*

Gal.V.17. ***Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem: hæc autem inter ſe oppoſita ſunt, ut non quæcunque volueritis, eadem faciatis.***

Duo nimirum principia contraria ſunt in filiis Dei, caro & ſpiritus, quæ ſibi invicem perpetuò adverſantur. Neque enim abſurdum eſt, eodem in domicilio, diverſis ſedibus, habitare duos contrarios inquilinos. Luctam illam qui non ſentiunt, aut Angelicam perfectionem habent, quam ſibi arrogent qui poſſunt: aut Spiritum Chriſti non habent. Caro enim non concupiſcit adverſus carnem, ſed adverſus ſpiritum. Hinc quid de perfectione Monaſtica ſentiendum, facilè colligitur.

Similia loca ſunt, Rom.VII.14. ***Scimus legem eſſe ſpiritualem, at ego carnalis ſum, &c.*** 22.***Delector lege Dei, quod ad interiorem hominem:*** 23.***Sed video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, &c.***

Eph.IV.22,23,24. Col.III.9,10. ***deponere & exuere*** jubemur ***veterem hominem, cum deceptricibus cupiditatibus, & factis ipſius:*** contra autem ***induere novum hominem, qui ſecundum Deum conditus eſt ad juſtitiam & ſanctimoniam veram.***

2.Cor.IV.16. ***Etiamſi externus homo noſter corrumpitur, inter-***

Digitized by Google

ternus tamen renovatur quotidie. Non ſimul & ſemel,ſed quotidie.

1.Cor.II.14. *Animalis homo non eſt capax eorum,quæ ſunt ſpiritus Dei,&c.15.At ſpiritualis dijudicat omnia.*

2.Cor.V.17.*Si quis igitur eſt in Chriſto,nova creatura eſt,&c.*

5. Regeneratio quandiu electus in mortali hac carne peregrinatur,frequentiſsimas experitur viciſsitudines: ſic ut nunc major,nunc minor exiſtat.

Id renati, quandiu mole hujus carnis ſunt gravati, experiri neceſſe habent,ut,Lunæ inſtar,varias ſubeant mutationes: modò proficiant, modò deficiant: modò vincant, repentè vincantur.

Heic enim eſt *μάχη ἀλλοπρόσαλλος*,variæ certaminum vices,ut juſtus modò cadat,tum reſurgat, & reſipiſcat,Proverb. XXIV.16.

Neque verò reſipiſcentia tantùm prima, ut Cathari olim volebant, ſed & ſecunda, & tertia, & ſæpius iterata renatis competit: quia peccatum in illis *habitat*, Rom.VII.17. ſed non *regnat*,Rom.VI.12.neque eo delectantur,ſed oderunt infirmitates ſuas: *delectantur autem lege Dei*, ab omni inquinamento carnis & ſpiritus abhorrent,& *ſanctificationem in timore Dei perficiunt*,Rom.VII.15.22,24. 2.Cor.VII.1.

6. Regeneratus & Sanctificatus poteſt labi, & cadere,& quidem nonnunquam graviter,finaliter gratia excidere non poteſt.

Id verò non ſuis viribus,quæ nullæ ſunt ipſius,ſed & propoſito Dei immutabili, & invictæ ejus potentiæ,acceptum refert.

Propoſitum namque *Dei,quod ſecundùm ipſius eſt electionem, non ex operibus noſtris,ſed ex vocante firmum manet,* Rom.IX.11: ex vocantis videlicet Dei ſapientia,& potentia.

Ea nimirum ſapientia Dei eſt,ut *dona & vocatio* ipſius ſint

ἀμε-

Digitized by Google

ἀμεταμέλητα,id eſt,ejuſmodi, ut eorum ipſum pœnitere non poſſit: Rom.XI.29. Δευτέρωσις heic nulla locum habet.

Ita *illuminatis mentis noſtræ oculis* conſiderare jubemur, *quæ ſit excellens illa magnitudo potentiæ ipſius in nobis,qui credimus, pro efficacitate fortis roboris ipſius,quam exeruit in Chriſto, quum excitavit eum ex mortuis, & collocavit ad dextram ſuam in cælis*, Eph.I.18,19,20.

Idem,*pro divite ſua gloria,dat nobis,ut fortiter corroboremur per ſpiritum ipſius in interiore homine*: Eph.III.16.*ut omni robore corroboremur, ſecundùm glorioſam vim ipſius,ad omnem tolerantiam & animi lenitatem cum gaudio*,Col.I.11.

Virtute ergo Dei cuſtodimur per fidem ad ſalutem, 1.Petr.I.5. *habentes theſaurum hunc in teſtaceis vaſculis,ut ejus virtutis præſtantia ſit Dei, & non ex nobis*: 2.Cor.IV.7. *atque potentia Dei per infirmitatem noſtram perficiatur*: 2.Cor.XII.9.

Idem enim ille *Spiritus promiſſionis Sanctus*,per quem corroboramur & obſignamur,qui eſt *arrhabo hæreditatis noſtræ*, Eph.I.13. & *timoris Domini*,& *precum* eſt Spiritus, Jeſ.XI.2. Zach.XII.10. ut ne forſan,finem præſumentes,media negligamus: ſed *cum timore & tremore ſalutem conficiamus*,Phil.II.12.Deum ἀδιαλείπτως orantes,*ut omnem ſuæ bonitatis gratuitam benevolentiam,& opus fidei potenter compleat*, 2.Theſſ.I.11.

7. *In regeneratione rectè dicuntur concurrere tria: nempe Spiritus Sanctus, Dei verbum, & hominis electi voluntas.*

α Spiritus Sanctus,ut cauſſa principalis.

Unde *Spiritus Sanctificationis* dicitur: Rom.I.4. *In eandem imaginem* (gloriæ nimirum Domini) *transformamur à gloria in gloriam,tanquam à Domini Spiritu*: 2.Cor.III.18.

Non excluſo tamen Patre & Filio: ſicut nec à Creatione, quæ Patri,nec à Redemptione, quæ Filio tribuitur,Spiritus S. excluditur.

Eadem actio,principalis cauſſæ reſpectu, *Creatio*, Pſal.LI.12. Gal.

Gal.VI.15. Eph.II.12: *tractio,* Joh.VI.65: *cordis adapertio,* Act.XVI.14: *& potentiſſima Dei actio* dicitur, Eph.I.19,20.

Hinc colligimus primò, modum, quo Spiritus S nos regenerat, id eſt, fidem ſalvificam nobis donat, per quam aditum habemus ad Patrem, Eph.III.12 non in ſuaſione tantùm verbi conſiſtere, ſed in potenti tractu, in Dei videlicet actione, à verbo diſtincta. Ipſe enim eſt *qui efficit in nobis & ipſum velle, & ipſum agere, pro gratuita ſua benevolentia,* Phil.II.13.

Deinde, actioni Spiritus S. tam potenti neminem ita reſiſtere, ut irrita reddatur. Sicut enim Chriſtus Deo volenti ipſum excitare ex mortuis non reſtitit: ita Deo volenti ſalvum facere nullum hominis reſiſtit arbitrium. Hæc gratia à nullo duro corde reſpuitur, ideo quippe tribuitur, ut cordis durities primitus auferatur. Auguſt. de prædeſt. Sanct c.VIII. Adimit quippe Deus *cor lapideum,* & loco ejus dat *cor carneum,* Ezech. XXXVI.26.

Quis credat, in noviſſimo die, in hominis poteſtate relictum iri, ex mortuis reſurgere, vel non reſurgere? *Hora enim veniet, qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filii hominis, & prodibunt, &c.* Joh.V.28,29. Eadem verò ratio eſt regenerationis noſtræ, quæ *Reſurrectio prima* dicitur, Apoc.XX.5,6.& *vivificatio,* Eph.II.5. Neque ergo hominis poteſtati permiſſum eſt, ut credat, vel non credat, quando Deus illum ad imaginem ſuam renovare & inſtaurare intendit. Ideo Paulus dicit: *Electi aſſecuti ſunt, cæteri occalluerunt,* Rom.XI.7.

Poſtremò, Spiritum S. ſupremum eſſe noſtrum in fide & moribus directorem. Nam

Qui mentes noſtras, ut cauſſa principalis, illuminat, & corda ſanctificat, is ſupremus eſt noſtræ & fidei & morum director.

Atqui Spiritus S cui ſingulariter hæc actio tribuitur, mentes noſtras ita illuminat, & corda ſanctificat.

Ergo ſupremus eſt noſtræ & fidei & morum director.

β *Ver-*

Digitized by Google

β Verbum Dei, Sacris Scripturis comprehenſum, ut ſemen illud vivum & incorruptum.

1. Petr. I. 23. *Renati* dicimur *non ex ſemine corruptibili, ſed ex incorruptibili, per verbum Dei vivi, & manentis in æternum.*

Conjungit Apoſtolus cauſſam principalem, & inſtrumentalem, ut doceat Verbum Dei, Sacris Scripturis comprehenſum, conjunctam habere, reſpectu electorum, operationem efficacem Spiritus Sancti. Is namque ſemini dat incrementum, & corda renovat, 1. Cor. III. 6. *Evangelium* enim & *potentia Dei eſt ad ſalutem cuivis credenti*, Rom. I. 16. quia Deus per illud potentiam ſuam in credentibus exerit, & *miniſterium Spiritus*, 2. Cor. III. 8.

Hinc colligimus primò, poſitâ cauſſâ principali non tolli inſtrumentalem.

Deinde, unicam ac certiſſimam fidei ac morum regulam non aliam eſſe, quàm ipſum Dei Verbum, S. Scripturis comprehenſum.

Per quod enim Deus nos illuminat, & ſanctificat, per illud & in fide, & in moribus, unicè & perfectè nos dirigit.

Atqui per Verbum, S. Scripturis comprehenſum, nos illuminat & ſanctificat.

Ergo per illud ipſum quoque & in fide, & in moribus, unicè & perfectè nos dirigit.

γ Voluntas hominis, partim ut ſubjectum merè paſſivum, dum infunduntur novæ qualitates: partim ut inſtrumentum activum ad perſequendum bonum propoſitum, poſteaquam novæ illæ qualitates infuſæ ſunt.

Ante regenerationem homo *mortuus* eſt *in peccatis*: Eph. II. 1. Col. II. 13: ubi probè probéque obſervandum, quòd non ſimpliciter morbum aliquem contraxiſſe, ſed in peccatis mortuus dicitur.

In primo igitur regenerationis articulo, dum novæ dantur

credendi & reſipiſcendi vires, voluntas hominis in peccatis mortui merè paſſivè ſe habet. Regeneratio enim revera *reſurrectio* eſt *ex mortuis*. Col. II. 12, 13.

Omnem quoque vitam & vires Dominus his verbis homini adimit: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*, Joh. VI. 44. Non enim ait, ut nervosè Auguſtinus obſervat, *duxerit*, ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur, ſi jam volebat? Et tamen nemo venit, niſi velit. Trahitur ergo miris modis ut velit, ab illo, qui novit intus in ipſis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant: lib. I. contra duas Epiſtolas Pelagianor. c. 19.

Voluntas enim noſtra non tantùm paſſivè ſe habet, quatenus vires accipit novas: ſed & activè, quatenus vires acceptas, vocationi obediens, eodem momento exercet: prorſus ut homo ille, cui Chriſtus viſum reſtituit, eodem momento vidit: & Lazarus verbo Chriſti excitatus, eodem momento adeptus eſt vitam.

Quanquam vires novas ſic exercet, ut *caro ſpiritui* perpetuò adverſetur. Gal. V. 17. Hinc lapſus ſanctorum: hinc adhortatio Apoſtolica, ut fideles *Spiritu ambulent, & deſideria carnis ne perficiant*, Gal. V. 16.

Ex dictis primò colligimus, regenerandis nobis non ſufficere illuminationem intellectus, ut nonnulli exiſtimant, intellectui practico, quem vocant, nimium tribuentes: ſed voluntatem peculiari indigere renovatione, quia multorum voluntas, præ cæteris licèt illuminatorum, peſſima eſt: ut conſtat de diabolis, & reprobis quoque non paucis. Heb. VI. 4, 5. Jac. II. 19: qui meliora licèt videant, probéntque, deteriora tamen ſequuntur. Non ergo, ex quantacunque mentis illuminatione, neceſſariò infertur converſio voluntatis. Ut enim quod bonum eſt, ὄντως videlicet & revera *bonum* ac ſalutare, *velimus*, & *perficiamus, Deus efficit in nobis pro ſua benevolentia*, Phil. II. 13.

Dein-

Digitized by Google

Deinde,vires credendi & reſipiſcendi nullas in homine eſſe ante regenerationem. Voluntas quippe humana non libertate conſequitur gratiam, ſed gratiâ potiùs libertatem,& ut perſeveret delectabilem perpetuitatem,& inſuperabilem fortitudinem: Auguſt.lib.de corr.& gratia,c.8.

Denique,non initia tantùm, ſed & progreſſum regenerationis noſtræ Deo nos meritò referre acceptum. Tanta eſt carnis noſtræ imbecillitas,& ad reſiſtendum ſpiritui proclivitas. Ideo Dominus ad diſcipulos jam converſos,*ſine me*,inquit,*nihil poteſtis facere*, Joh.XV.5. Et *ſuccurrere infirmitatibus noſtris Spiritus S.*dicitur,Rom.VIII.26.*Fidelis enim eſt qui vocavit nos,qui etiam id efficiet,ut* videlicet *integer noſter ſpiritus, & anima, & corpus inculpatè in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti ſerventur*,1.Theſs.V.23,24. *Ipſe reverentiam ſui indit animis noſtris, ut non recedamus ab eo*, Jerem.XXXII.40: ſed ut Deo perſeveranter adhæreamus,Auguſt.de bono perſeverantiæ,c.2.

Concludimus S.Apoſtoli verbis: *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non acceperis? Quod ſi etiam accepiſti, quid gloriaris,ut qui non acceperis?* 1.Cor.IV.7.

Quicunque igitur liberi arbitrii viribus regenerationis ortum & progreſſum tribuunt, ſeipſos hac ratione non à reprobis, vel nondum renatis, ſed ab electis & renatis diſcernunt,id eſt, inter electos & renatos locum habere non poſſunt,quia potentiſſimam Dei gratiam,& regenerantem, & ſanctificantem,non humillimè agnoſcunt & deprædicant.

FINIS.

Digitized by Google